

quidem Hibernia medio inter Britanniam atque Hispaniam  
sita et Gallico quoque mari opportuna valentissimam imperii  
partem magnis in vicem usibus miscuerit. spatium eius, si <sup>2</sup>  
Britanniae comparetur, angustius nostri maris insulas supe-  
5 rat. solum caelumque et ingenia cultusque hominum haud  
multum a Britannia differunt; [in] melius aditus portus-  
que per commercia et negotiatores cogniti. Agricola ex- <sup>3</sup>  
pulsum seditione domestica unum ex regulis gentis exceperat  
ac specie amicitiae in occasionem retinebat. saepe ex eo  
10 audiui legione una et modicis auxiliis debellari obtinerique  
Hiberniam posse; idque etiam adversus Britanniam pro-  
futurum, si Romana ubique arma et velut e conspectu  
libertas tolleretur.

Ceterum aestate, qua sextum officii annum incohabat, <sup>25</sup>  
15 amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus uni-  
versarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera  
timebantur, portus classe exploravit; quae ab Agricola pri-  
mum adsumpta in partem virium sequebatur egregia specie,  
cum simul terra, simul mari bellum impelleretur, ac saepe  
20 isdem castris pedes equesque et nauticus miles mixti copiis  
et laetitia sua quisque facta, suos casus attollerent, ac modo  
silvarum ac montium profunda, modo tempestatum ac fluc-  
tuum adversa, hinc terra et hostis, hinc victus Oceanus  
militari iactantia compararentur. Britannos quoque, ut ex <sup>2</sup>  
25 captivis audiebatur, visa classis obstupefaciebat, tamquam  
aperto maris sui secreto ultimum victis perfugium claudere-  
tur. ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes <sup>3</sup>  
populi magno paratu, maiore fama, uti mos est de ignotis,